



XXXVII.

Quod Felix Faustumque sit!

DISPUTATIO INAUGURALIS IURIDICA

DE PARTU
SUPPOSITO,

Quam
DIVINA ADSPIRANTE GRATIA

SVB AVSPICIIS

INCLYTÆ UNIVERSITATIS SALANÆ
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI

IOHANNIS GVILIELMI

DUCIS SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM,
ANGRIÆ AC WESTPHALIÆ, ETC.

Et ex Decreto & Autoritate

MAGNIFICI AC AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS

PRÆSIDE

ILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO VIRO

DN. NIC. CHRISTOPH. LYNCKERO,

Hæreditario in Böttschau & Glubstædt / Consiliario Saxonico Intimo, ut & Regiminis
& Consistorii Tutelaris, Facultatis Juridicæ Seniore, Antecessore primario, Curie Provincialis

ac Scabinatus Assessore gravissimo,

DOMINO PATRONO ÆTERNUM DEVENERANDO,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA

DOCTORALIA

consequendi,

Publicè Eruditorum examini subiectis

PET. IOH. OEHNSEN, Gvelfpherbyt.

Ad diem Octobr. Anno 1690,

H. L. Q. C.

JENÆ, Literis Bauhoferianis.



XXVII

Quod Felix Augustinus sit!

DISPUTATIO IN ANTIQVA ALIA JURIDICA

DE P. A. R. T. U. S. U. P. P. O. S. I. T. O.

DIVINA ADSPERANTE GRATIA

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

IOHANNIS GUILIELMI

DUCIS SAXONIE, PALACII, CLIVIE, MONTIUM,

Et ex Decreto & Auctoritate

MAGNIFICI AC AMPLISSIMI POTERUM ORDINIS

DN. MIC. CHRISTOPH. LYNCKERO,

Præfate in Rôndam & Lipsiæ Consilio Saxonicæ Intimo, in & Regimini
& Consilio Pædagogis, Facultatis Juridicæ Senioris, Antecessoris primario, Cuius Provincialis

DOMINO PATRONO RERUM BEVERARDO,

PRO LICENTIA

SUMMO IN UTROQUE JURE HONORIS ET PRIVILEGII

DOCTORALIA

PET. IOH. OEHNSEN, Gvêpherdÿr.

At den 17ten Junii Anno 1799.

M. L. G. C.

LEIPZIG, bey dem Buchhändler





DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
PARTU SUPPOSITO.

§. I.



Artus suppositus dupliciter intelligi potest, vel improprie & Grammaticè pro partu adulterino, qui supponitur & obtruditur familiae alienae, vel proprie & Juridicè pro infante qui supponitur matri parienti vel partum simulanti, tanquam verus partus esset, Adeoque differt à liberis aut infantibus suppositis, qui post partum in locum verorum infantum amissorum aut furto ablatorum aut mortuorum non solum à matre, sed & hac inscia ab aliis quorum interest quandoque supponi solent.

§. II.

Committitur crimen partus suppositi regulariter à foeminis matres se simulantibus, quamvis ferè non possit illud perpetrari absque sociis delicti. Et quia plerumque ista suppositio fit in præjudicium maritorum, inde rarissime consensus ejusdem adesse, aut ille particeps maleficii esse solet. Refert tamen Petrus Aërodius in *Pand. rer. judic. lib. 9. tit. 1. cap. 8. f. m. 485.* exemplum partus utroque conjugè, nimirum Rege Dejotaro & Regina Stratonice consentientibus,

4.
suppositi. Et quod jam in Anglia flagrat bellum, inter alia
causam partus & utriusque conjugis consensu suppositi præ-
tendit.

§. III.

Causæ verò, quæ foeminas, ut delictum ejusmodi per-
petrent, movere solent, etsi variæ pro diversitate circumstan-
tiarum esse solent, non incommode tamen ad duo summa
genera revocari poterunt. Aut enim partus supponitur
propter desiderium consequendi boni, aut propter metum
evitandi mali. Prius frequentius est, unde etiam leges Ro-
manæ, dum de partu supposito loquuntur, fere unicè ad
hunc casum respiciunt. Ast poterit tamen & posterius con-
tingere, si v. gr. maritus uxorem male tractet, quod nullos
liberos ipsi pariat, aut quod filios non edat sed filias, si tem-
pore graviditatis mortem aut alia dira ipsi minetur, si fili-
um non paritura sit, &c. Quod verò prius concernit, sup-
ponitur partus à matribus vel ex cupiditate divitiarum ac-
quirendarum, puta hæreditatis opimæ, aut certè lucri non
contemnendi ex eadem captandi, aut ex cupiditate vindictæ,
& odio mariti divortium ab uxore facientis. Ad illam
classem pertinent suo modo tituli Juris Justiniani *de ventre
inspiciendo, de ventre in possessionem mittendo, de Carboniano
edicto*, ad hanc titulus *de agnoscendis & alendis liberis*.

§. IV.

Dixi in definitione, *matri parienti, aut partum simu-
lanti*. Nam duobus modis subjectio partus fieri potest;
communiter ad defectum verorum liberorum supplendum,
ubi necesse est, ut mater partum simulet; Rarius matri re-
verà parienti, si nempe speretur filius & mater filiam sit enixa.

§. V.

Supponere partum haud dubiè illicitum est, utpote
cum hoc modo vel imponatur marito, onus alendi & edu-
candi

§.
candi liberos tanquam suos, qui ex ipsius sanguine non sunt concepti, quo respectu læsio hujus delicti communis est cum adulterio, per quod simile onus marito innocenti injicitur; vel intervertantur jura alia familiæ & maximè successione, quæ facta tecta conservari interest Reipublicæ. Pertinet adeo suppositio partus ad illa delicta, quibus Respublica non immediatè læditur, sed per læsionem privatorum: unde etiam ex principiis communibus, cum hic duplex occurrat læsio, privati altera, altera ipsius Reipublicæ, delinquentes hoc modo obstricti sunt, ut & privatis satisfaciant, & ob illatum damnum publicæ rei pœnas luant.

§. VI.

Coeterum dicta facile ostendunt, subjectionem partus, quæ ex metu minarum oritur, damnum istud marito non inferre. Neque enim onus interpretari poterit alimentorum exhibitionem, quam tantopere affectavit; & si maxime damnum foret, propriæ culpæ id adscribere deberet. Præterea verò cum delicta ex intentione æstimari debeant, & fœmina atrociter à marito tractata non eâ intentione partum supposuerit, ut velit interciperè hæreditatem fortè ad alios pertinentem, sed solum ut se à crudelitate mariti liberet, nec etiam hoc intuitu quicquam commune habet cum crimine partus suppositi prioris generis. Unde nec habebit Respublica, quod ejusmodi mulieri imputet, cum commiseratione potius, quàm pœna videatur esse digna; etsi etiam hoc casu intersit Reipublicæ, ne confundantur jura familiæ, atque potius maritus quàm uxor coërcitionem mereri videatur. Interim tamen nolo sententiam meam ita exponi, ut factum ejusmodi fœminæ omnino justum defendere velim, sed potius ad eorum classem pertinere arbitror, quæ neque laudantur, neque vituperantur, sed excusantur. Et imò excusatio hæc etiam tum demum locum sibi vindicabit,

A ;

bit,

bit, si minæ mariti fuerint atroces, & diu continuatæ, neque media justa ac legitima alia supersint isti uxori, quibus se à minis mariti non difficulter liberare possit.

§. VII.

Videamus jam, ad quod genus delictorum referri debeat suppositio partus? Et nullum est dubium, quin ad falsum pertineat; unde & jure Romano accusatione ex Lege Cornelia de falsis coërcetur. *argm. l. 19. §. 1. & l. 30. §. 1. ad L. Corn. de fals. l. 11. §. 1. in fin. ff. de accus.*

§. IIX.

Pertinet cognitio de partu supposito ad Præfectos & Præsides. Sic enim Ulpianus *l. 1. §. 3. ff. de pœnis. Generaliter placet in legibus publicorum judiciorum vel privatorum criminum, qui extra ordinem cognoscunt Præfecti vel Præsides, ut eis, qui pœnam pecuniariam eludunt, coercitionem extraordinariam inducant.* Præfectos intellige Præfectos urbi. *l. 1. pr. de Offic. Præfec. Urb.* De Præsidibus in materia partus suppositi in specie diserte disponunt Imperatores Diocletianus & Maxim. *l. 10. C. ad L. Corn. de fals.* Legitimo rescribentes. *Cùm suppositi partus crimen patruui tui uxori moveas, apud rectorem provincie instituta accusatione id proba.*

§. IX.

In qua tamen lege præsupponendum est, quod Legitimus voluerit Patruo suo ab intestato succedere, & filium adeo istum supposititium à successione per accusationem institutam excludere. Nam aliàs non admissus fuisset ab Imperatoribus ad accusationem, quia hoc speciale est quoad accusatores in crimine partus suppositi, quod licet in reliquis criminibus publicis quilibet de populo ad accusandum admittatur, hic tamen aliud sit receptum. Sic enim Modestinus *in l. 30. §. 1. ad L. Corn. de fals.* notat. *De partu supposito solè*
accu-

accusant Parentes, aut hi, ad quos ea res pertineat (qualis
erat in præcedenti lege Fratris Filius) *non quilibet de populo,*
ut publicam accusationem habeat. Ubi tamen non inferes,
ergo crimen partus suppositi non pertinere ad crimina pu-
blica. Aliud enim est *non habere accusationem publicam.*
(Grammaticè tanquam *populicam*) aliud non habere accu-
sationem ex iudicio publico, cum publicum iudicium sit,
quod peculiari lege fuit notatum. *l. 1. ff. de public. iudic.* Ita &
adulterium ad iudicia publica pertinet, quoniam lege Julia
notatum est, *d. l. 1. licet & ibi accusatio non cuilibet ex po-*
pulo fuerit permessa. l. 4. §. 1. ad L. Jul. de adult. Dicit JCtus
de partu supposito solos accusare parentes, quod intelligo se-
cundum ductum verborum subsequen-
tium, quoties scili-
cet parentum interest, ut si filio velint ab intestato succede-
re, & pseudonepotem à nuru suppositum à successione ex-
cludere. Nam satis, puto, apparet verborum subsequen-
tium, *aut hi ad quos ea res pertinet,* sententiam eò tende-
re, non ut opponantur hi posteriores parentibus, ac verba
disjunctive capiantur, quasi nempe hæc accusatio *vel paren-*
tibus vel iis, ad quos ea res pertineat, sit permittenda, & ita
parentibus indulgeatur accusatio, licet eorum non intersit;
sed ut ampliative loquatur JCtus: nempe parentibus pri-
mum, deinde reliquis, *ad quos ea res pertineat,* id est, quo-
rum similiter intersit quoad successione hæreditariam,
indulgenda sit accusatio suppositi partus. Unde videtur
inferri posse, quod parentes, aut reliqui, qui successuri es-
sent marito, cuius uxor partum supposuit, vivente marito
accusare nequeant de partu supposito, quia viventis non est
hæreditas, & quia nesciunt, an supervicturi sint maritum,
& ita res ad ipsos aliquando pertinere debeat, ac denique quia
hæreditas, quæ speratur, nec aliàs ad interesse solet numerari.
argm. l. 23. §. 2. ad L. Aquil.

argm. l. 23. §. 2. ad L. Aquil.

§. X.

8.

§. X.

Quemadmodum verò non dubium remanet, per eos, ad quos ea res pertinet, intelligi illos, qui marito vel etiam ipsi uxori partum supponenti succedere volunt; ita quid de marito dicemus? Utrum hic uxorem de partu supposito accusare non poterit? Equidem cum nemo sibi ipsi succedat, hoc quidem respectu mariti nullatenus videtur interesse. Sed quatenus oneraretur maritus per alimentacionem & educationem, & quatenus omnino cujuslibet interest, ne ei invito heres agnascatur, verosimilius videtur, etiam maritum in dicta lege, illis ad quos ea res pertinet, accensendum esse.

§. XI.

Limita tamen assertionem *d. l. 30. §. 1.* ut non procedat in liberis, etsi horum vel maximè interfit. Eleganter hanc in rem Macer in *l. 11. §. 1. ff. de accus. Liberi libertique non sunt prohibendi suarum rerum defendendarum gratia de facto parentum patronorumque queri, veluti si dicant vi se à possessione ab his expulsos, scilicet non ut crimen vis eis intendant, sed ut possessionem recipiant* (scil. per interdictum unde vi.) Nam & filius quidem non prohibitus est de facto matris, queri, si dicat, suppositum ab ea partum, quo magis coheredem habeat, sed eam ream lege Cornelia facere permissum ei non est. Scilicet licet interfit reipublicæ, ut quicumque de populo in criminibus accusator fiat, excipiuntur tamen certis ex causis quædam personæ in *l. 8. ff. de accus.* inter quas Macer circa finem recenset & libertinos & liberos. Alii, ait, propter conditionem suam (prohibentur accusare) ut (filii contra parentes &) libertini contra patronos. Quamvis enim de filiis nihil memoret editio Florentina, tamen illa verba parenthesi inclusa agnoscit Vulgata & Haloandrina, & rectè, quia ratio exceptionis haud dubie est

est beneficium summum, quod liberi à parentibus & liberti à patronis acceperunt, summaque reverentia & observantia, quâ parentibus & patronis sunt obstricti, quæ quia in liberis majori fundamento nititur quàm in libertis, non omisit utique Jctus, vel non omittere debuit liberorum commemorationem. Unde & Imperator Alexander l. 5. C. ad L. Corn. de fals. Petronio rescripsit: *Falsi quidem crimen vel aliud capitale movere vos matri vestrae secta mea non patitur; sed ea res pecuniarium compendium non aufert. Si enim de fide scriptura, unde eadem mater vestra fideicommissum sibi vindicat, dubitatio est, inquire fides veritatis etiam sine metu criminis potest.* Qui textus d. l. ii. §. i. de accus. valde parallelus est.

§. XII.

His verò textibus non obstat, sed locum exceptionis sustinet, quod Papinianus scriptum reliquit in l. 38. §. 9. ff. ad L. Jul. de Adult, *Liberto Patroni famam laceessere non facile conceditur. Sed si jure mariti velit adulterii accusare permittendum est, quomodo, si atrocem injuriam passus esset, quæ exceptio an etiam ad liberos extendenda sit? Subsisterem, nisi id svaderent verba Ulpiani l. 7. §. 3. ff. de injur. Sed & sibi quis ex liberis, qui non sunt in potestate, cum parente velit experiri, non temere injuriarum actio danda est, nisi atrocitas suaserit.* Quamvis, ut vides, ipse Ulpianus ea quæ de atroci injuria adjecit, magis dubitanter quàm determinative posuerit.

§. XIII.

Notanter autem Marcellus in d. l. §. 1. ff. de accusat. cum de vi loquitur, libertum & filium conjungit, sed in exemplo de partu supposito solius filii mentionem facit, non liberti, & hoc non ideo quod libertus in accusatione de partu supposito privilegio gaudeat præ filio, sed quod in materia partus

B

sup-

suppositi non sit facile casus dabilis, ut libertus admitti possit. Neque enim ipsius interesse potest ordinariè aut ea res ad ipsum pertinere, quia non succedit in bonis patroni *arg. t. t. ff. de bon. libert. ut præjudicium ipsi fieri possit per subjectionem partus ab uxore patroni factam.*

§. XIV.

Ergo filii non poterunt matrem accusare de partu supposito, sed jubentur alia actione de facto matris conqueri: Quanam verò illa? Sanè adversus ipsum filium suppositum hæreditatis petitionem aut actionem præjudicialem eum habere non est dubium, vel exceptionem per quam quæstionem status ipsi moveat. Ast Marcellus de actione adversus matrem instituenda loquitur. Non erit fortè alia, quàm in factum actio, sed & ipsa pœnalis, qualis aliàs in crimine falsi, cessante certis ex causis actione legis Cornelia, locum habet. Ita siquidem Ulpianus *l. 25. ff. ad L. Corn. de fals.* *Qui nomine Prætoris literas falsas reddidisse, edictumve falsum proposuisse dicetur: ex causa actione in factum pœnali tenetur, quamvis lege Cornelia reus sit.*

§. XV.

Denique cum Marcellus dicit, filium posse convenire matrem, quæ ideo partum supposuerit, ut magis coheredem habeat filius, exinde nequaquam contra assertionem, quam posuimus §. 9. quod non possit accusatio partus suppositi institui propter hæreditatem quæ speratur, sed quod interesse jam debeat esse radicatum, & is, de cujus hæreditate agitur, mortuus esse. Etsi enim in contrarium urge re velis, quod filio hic concedatur actio contra matrem viventem, quæ per suppositionem suam fecit, ut filius etiam cohæredem habeat in hæreditate materna; responderem tamen, in hoc loco non agi de hæreditate materna, sed de pater-

paterna, in qua etiam iste partus suppositus cohæredis locum sustinere voluit.

a. XVI.

Etsi verò extranei, & ad quos ea res pertinet, non possint accusare de partu supposito, tamen accidere poterit, ut in aliam actionem extranei incidat quæstio de partu subjecto. Quò pertinet elegans casus, quem Quintilianus tractat in declamationibus, *declamat. 338. p. m. 421.* Quidam repudiata uxore, ex qua juvenem filium habebat, aut videbatur habere, duxit alteram. Frequenter jurgia erant privignum inter & novercam. Postea asserere cœpit juvenem pauper quidam & dicere suum esse filium, quem post nautivitatem ipse exposuerit, uxor verò alterius repudiata subjecerit sibi in partu. Is qui pater videbatur, torsit nutricem. Quæ tamen primis tormentis nil aliud respondit, quàm filium esse torquentis domini. Sed iterum torta, dixit expositum esse ab illo, qui ipsum assererat, & inter tormenta mortua est. Ergo prior pater repudiat hunc filium, & pauperi eum vindicanti cedit. Sed non cedit uxor repudiata, verum filium sibi vindicat. Et quidem pro hac declamat Quintilianus dicto loco, ita tamen, ut onus probandi eleganter transferat in adversarium. Verba notatu dignissima videntur: *Ante omnia intelligitis, iudices, nullum onus probationis ad me pertinere. Juvenem, de quo agitur, cum hoc homine inventum per tot annos, qui ad robustam usque ætatem perducere eum, de quo litigamus, potuerunt, nunquam dubitatur. Dicam nunc ego illa quæ leviora sunt. Nupsit, & concipere potuit. Imò nisi concepisset, non credidisset illi maritus. Totum igitur onus redundat ad diversam partem. Adversarius multa probare necesse habet, habuisse se uxorem, concepisse uxorem suam, peperisse marem, peperisse eo tempore quod ad ætatem ejus, de quo litigamus*

congruat: peperisse, exposuisse, vixisse expositum: ab hoc à quo repetit esse sublatum, & contra subjectum: ab hac quod precedit, aut sterilis fuerit, aut id quod pepererat amisisse. Sterilem fuisse non dices, credidit maritus amisisse, non est satis dicere, probandum est. Hac exigeremus in causa, Judices, si de mancipio, si de pecunia. Filium matri eripere conaris & partem viscerum avellis: & contra maternos gemitus contentus es alterius parentis negligentia.

§. XVII.

Hactenus de accusatore. Instituitur accusatio contra supponentes, primariò contra mulierem, secundariò, & si ipsa mortua sit, contra participes delicti, qui tamen videntur æquali pœna coërceri, argumento l. 2. ff. de Carbon. edict.

§. XVIII.

Sed quam pœna animadvertitur in hoc crimen? Equidem Marcianus l. 1. §. ult. ff. de fals. pœnam falsi vel quasi falsi in genere deportationem esse ait, nisi quod servi ultimo supplicio afficiantur. Unde dicere posses, licet in l. 1. C. eod. causa subjecti partus capitalis vocetur, & mulier subjiciens periculum capitis subire dicatur, tamen per causam capitalem hic nullam aliam intelligi quàm deportationem & per caput, statum civitatis t. t. Inst. de cap. dimin. Sed responsum Marciani ita esse accipiendum videtur, ut procedat in plerisque casibus, non verò in omnibus. Siquidem Paulus lib. 5. sententiarum tit. 25. diversis pœnis falsi crimen pro diversitate circumstantiarum coërceri fufius docet, & leges Justinianæ subinde inculcant ultimo supplicio liberos quoque homines propter falsum coërceri. Quapropter etiam in d. l. 1. C. per capitis periculum probabilius intelligitur periculum ultimi supplicii. Inprimis cum apud Paulum d. l. pœna capitalis fere perpetuo deportationi opponatur. Quod etiam fit in l. 22. C. eod. verbis: post probationem supplicio capitali,

pitale, si id exigat magnitudo commissi, vel deportatione ei, qui falsum commiserit, imminente. Quæ simul ostendunt in atrocioribus speciebus falsi ultimum supplicium fuisse observatum. Unde simul disces, crimen partus suppositi non inter vulgaria falsi genera, sed inter eminentia & atrociora fuisse numeratum, haud dubiè quod ut initio diximus, turbando jura familiæ simul maxime turbet totam rempublicam. Et ità statuere malo, quàm cum Dionysio Gothofredo *ad d. l. 1. C. b. t. lit. L.* asserere: Pœnam falsi ex lege Cornelia fuisse capitalem, postea verò factam esse non capitalem. Conf. Anton. Matth. *de crim. ad b. t. cap. 2. pag. m. 548. & seq.*

§. XIX.

Pergerem ad actionem civilem, quæ occasione partus suppositi conceditur, nisi restaret difficilis textus Pauli in *l. 19. §. 1. ff. ad L. Corn. de fals.* *Accusatio suppositi partus, ait Paulus, nulla temporis præscriptione depellitur, nec interest, decesserit necne, ea, quæ partum subdidisse contenditur.* Desumpta est hæc lex testante inscriptione ex *lib. 5. sententiarum Pauli.* Sed nihil in fragmento receptorum sententiarum Pauli apparet, quibus hodie cum subjunctis Cujacii selectis notis utimur *lib. 5. tit. 25.* Unde exinde nihil etiam petere possumus, quod pro explicando hoc textu facere possit. Equidem quod hic ultimo loco dicitur; *nullam hac parte differentiam esse, utrum mulier partum subjiciens decesserit necne,* id facile interpretationem admittit ex *l. 2. ff. de Carbo. dict.* scilicet, quod non solum ipsa mulier partum supponens si ipsa vivat & accusetur, non possit ullam temporis præscriptionem allegare, sed & participes delicti, si forte mortua muliere conveniantur, eadem temporis præscriptione se tueri nequeant. Ast quod Paulus dicit. *Accusationem suppositi partus nulla temporis præscriptione depelli;* id Interpretes valde torquent.

B 3

§. XX. Sci

Scilicet accusatio de criminibus regulariter vicennio præscribitur. *l. 12. C. ad L. Cornel. de fals. l. 3. ff. de requir. & absent. damn. l. 13. ff. de divers. & tempor. præscript.* exceptis causis, in quibus minora tempora servantur *d. l. 13.* ut in lege Julia de adulteriis *l. 29. §. 6. ff. ad l. Jul. de adult.* Etsi verò communiter Juri aliam exceptionem ab ista regula constituent, cujus vi in quibusdam criminibus præscriptio vicennalis non sufficiat, sed plane nulla præscriptio locum habeat, quam in rem crimen læsæ majestatis, apostasiæ, hæreseos, parricidii, Assassinii, falsæ monetæ, simoniæ, concussionis, abortus, adducere solent. In his enim nullam currere præscriptionem, sed perpetuò adversus reos horum criminum inquiri eosque accusare posse. *vid. Farinac. Oper. crim. l. 1. qv. 10. n. 29.* Ostendere tamen nititur Dn. Thomasius in *dissert. de præscriptione bigamiæ §. 18. & seqq.* sententiam hanc Doctorum à principiis Jurisprudentiæ Romanæ esse alienam, & ex male intellectis legibus ortum duxisse. Cùm itaque accusatio de falso aliàs etiam præscribatur vicennio *d. l. 12. C. b. t.* & verò Paulus notet, accusationem suppositi partus quam supra ad crimen falsi retulimus, nulla temporis præscriptione depelli, inde non potuerunt non Doctores qui duplicem exceptionem à regula dari sibi persuaserunt, duplicem etiam pro diversitate hypotheseum textus Paulini afferre explicationem.

§. XXI.

Glossa *ad b. l.* notat hic contineri aliquid speciale contra *d. l. 12. C. b. t.* adeoque videtur inclinasse eo, quasi nempe ultra vicennium accusatio hujus criminis daret. Gothofredus vero eam de præscriptione vicennali minore exponit, unde verbis Pauli: *accusatio suppositi partus nulla temporis præscriptione depellitur*, illam limitationem subjungit in no-

tis hic lit. f. nisi vicennaria seu viginti annorum, quam in rem etiam d. l. 12. C. b. t. citat. Ergo putat Gothofredus per *prescriptionem temporis* hic intelligi *prescriptionem spatii* intra vicennium. In specie verò, Paulum hic ad quinquennii *prescriptionem*, quâ aliàs adulterii accusatio depellitur, respexisse; defendunt Anthonius Matthæi *de crim. ad lib. 48. tit. 2. cap. 4. n. 10. & tit. 19. cap. 4. n. 3.* & Wissenbachius *ad ff. de adult. tb. 14.* ita ut sensus sit, si mulier adulterium commiserit, & partum supposuerit, quamvis adulterii accusatio quinquennio perimatur, non tamen suppositi partus, eam enim durare annos viginti. Pro Matthæi explicatione etiam dicere posses, quod in *d. l. 12. C. b. t.* etiam querela falsi non dicatur excludi temporali *prescriptione*, quam tamen Diocletianus & Maximianus statim subjiciunt excludi exceptione viginti annorum, ut adeò stylo Juris Romani in materia criminum per temporalem *prescriptionem* videatur tale tempus intelligi, quod vicennio minus est, videatur Dn. Thomaf. *d. l. §. 19.*

§. XXII.

Sicuti verò ista prior Glossa, vel certè eorum qui lectione Glossæ inducti, quædam crimina nequidem vicennio *prescribi* tradiderunt, expositio jam per dicta §. *preced.* dubia reddita est, ita quod Gothofredi, Matthæi & Wissenbachii interpretationem attinet, posset ea tolerari, si Paulus dixisset. Accusatio partus suppositi *nulla temporali prescriptione* depellitur. Et tunc adeo sensus foret: *accusatio partus suppositi non prescribitur quinquennio uti adulterium.* Neq; distinguere debes utrum participes maleficii accusenter mortua muliere, utrum ipsa mulier: ita ut isto casu saltem *prescriptionem vicennii* admittas, hoc verò *prescriptionem quinquennii* sufficere arbitraris. Sed etsi non decesserit mulier, & ipsa conveniatur, post quinquennium respondere ad

accu-

16.
accusationem debeat. At cum Paulus dicat, *nulla temporis
prescriptione*, videtur idem dicere voluisse, ac si dixisset,
nullo tempore, adeoque nec vicennio. Cum inter prescrip-
tionem temporalem & prescriptionem alicujus temporis
utique sit magna differentia, *argt. totius tit. Inst. de perpet.
& tempor. act.* Nisi pro sententia Matthæi & Wissenbachii
dicere velis, non æquipollere hæc verba: *nulla temporis
prescriptione*, & ista, *nullo tempore*: Aliàs enim scripsisse Pau-
lum: *Nullius temporis prescriptione*. Sed cum dixerit: *nul-
la prescriptione temporis*, idem innuere voluisse, ac: *nulla
prescriptione temporali*.

§. XXIII.

Potuisset Paulus duabus syllabis dubium hoc omne di-
rimere, si loco *temporis* dixisset *temporali*. Jam verò cum
obscuritati aliàs assuetus & hic obscure locutus est. Natura
criminis nostri admittit utramque expositionem, non solum
illam Matthæi & Wissenbachii, quod sc. suppositio partus
non prescribatur quinquennio, ut adulterium, sed & alte-
ram paragraphi præcedentis, quod nullo tempore & nec vi-
cennio quidem prescribatur. Cum hæc duæ expositiones non
sint contrariæ sibi, sed subordinatæ.

§. XXIV.

Hic nobis opponere posses id quod modo in §. 20. &
22. dixerimus, illam doctrinam, quod quædam crimina nul-
lo planè tempore prescribantur, erroneam haberi, jam verò
dicamus, quod Paulus ita commode exponi possit, quasi ac-
cusatio partus suppositi nullo tempore prescribatur, quæ fa-
nè aperte sibi contradicere videantur. Sed ad hanc objecti-
onem ita tenendum. Diximus: regulam de vicenniali cri-
minum prescriptione pati quidem exceptionem de minori
temporis spatio, de majori verò dubitari posse. Et tamen
hoc non obstante potest contingere, ut quoddam crimen
vicen-

17.
vicennio non præscribatur, non quod faciat exceptionem aliquam à regula, cui & idem subjectum omninò est, sed quòd ex accidenti non adsint termini ad ullam præscriptionem habiles.

§. XXV.

Nimirum delicta commodè dividi possunt, quòd alia sint permanentia, alia transeuntia. Permanentia voco, ubi crimen non uno actu perficitur, sed tractu temporis continuatur, & hominem quasi delinquentem novo quodam statu ipsius personam continuò afficiente induit, qualia sunt crimen apostasiæ, bigamiæ, & si quis ex professo latrocinia exerceat &c. Transeuntia verò sunt, ubi crimen uno actu illicito absolvitur, ut crimen homicidii, adulterii, furti, &c. Cave tamen ne confundas hanc distinctionem cum distinctione vulgatà inter crimina facti transeuntis & permanentis, quæ in processu inquisitorio in determinanda quæstione de necessitate corporis delicti, ad formandam inquisitionem specialem, adhiberi solet, cum ista genera delictorum, ab iis quæ nos hic formavimus, definitionibus differant & exemplis. Nam v. g. homicidium diximus esse crimen transiens; sed secundum posteriorem distinctionem pertinet ad delicta facti permanentis.

§. XXVI.

Jam quod crimina permanentia attinet, in iis præscriptio locum aliquem invenire non poterit, quamdiu scilicet permanentia sunt. Nullum enim est dubium initium præscriptionis currere non ab inchoato, sed à consumato & finito delicto. Ergo in delictis permanentibus præscriptio non potest initium sumere: ratio, quia nondum sunt finita. Sic in crimine apostasiæ res procedit; quoniam hoc per omne vitæ spatium continuatur, nisi quis poenitens in gremium veræ Ecclesiæ iterum fuerit receptus, adeoque non nisi morte delin-

C

quen-

quentis finitur. Ergo nec poterit hic præscriptio vicennii locum sibi vindicare, quia deficit initium cursus. Unde dicitur, quod nullis temporibus hujus criminis indago arceatur. *l. 4. C. de apostatis.* Neque tamen propterea crimina permanentia exceptionem faciunt à regula, sed jam per interpretationem restrictivam sub regula non continentur. Est enim regula secundum exposita : *Crimina consummata præscribuntur vicennio.* At crimina permanentia non sunt consummata.

§. XXVII.

Et tale crimen permanens etiam esse videtur crimen partus suppositi, quia & ipsum aliquo modo tractu temporis continuatur. Nam sanè crimen hoc incipit quidem à suppositione partus, sed factà semel suppositione, crimen, quatenus ad genera falsi, ut vidimus refertur, nondum est consummatum, sed continuatur tam diu, non quidem suppositio partus, sed istud falsum quod per suppositionem partus intenditur, quamdiu partus suppositus habetur aut venditur pro partu genuino. Hoc modo verò illa legis Paulinæ evaderet sententia. *Accusatio suppositi partus, quamdiu partus suppositus vivit, nulla temporis præscriptione depellitur, quoniam præscriptio vicennii demum computatur à consummato delicto; crimen verò suppositi partus vivente partu supposito nondum consummatum est.* Et nil interest decesserit nec ne ea quæ partum subdidisse contenditur, quasi nempe decedente muliere videatur delictum suppositionis esse consummatum, quia etsi sit consummatum intuitu ipsius mulieris supponentis, contra quam etiam post mortem non poterit accusatio amplius institui, tamen non est consummatum intuitu participum maleficii, qui & ipsi quamdiu partus suppositus vivit, falsum, ad quod initio operas attulerunt, continuant. Interest verò secundum hanc expositionem, utrum partus suppositus decesserit nec ne. Post mortem

tem

tem enim hujus falsum istud est consummatum, ideoque tum quidem omnino accusatio de isto crimine, sive adversus pseudomatrem, sive adversus cooperantes, per prescriptionem vicennii depellitur. Conf. Dn. Thomas *d. disp. §. 14. & 20.*

§. XXVIII.

Deduximus adeo verba Pauli apta esse, ut & de prescriptione quinquennali, & de vicennaria eadem interpretari possis. Cæterum quam explicationem ipse in mente habuerit, determinare non possum, imprimis cum conjecturæ ex aliis Jctis, aut antiquitatum Romanarum scriptoribus, desumendæ hic deficient. Legi quidem apud Ærodiū in *Pand. rer. judic. lib. 9. tit. 1. cap. 8. f. 485. & seq.* cum accusationem P. Quirinii adversus Lepidam de supposito partu memorat, quædam verba possunt, quæ si primo intuitu inspicias, videntur evincere, quasi Paulus non potuerit de prescriptione ultra tempus vicennii intelligi, quoniam ex isto casu videtur evinci posse, non admittendum esse accusatorem de partu supposito, etiam vivente filio supposito post vicennium. Verba ita sonant. *Partum simulare certe accusatio falsi est. Non itaque reprehenditur apud Svetonium, neque apud Tacitum P. Quirinius, quod eo nomine atque hoc amplius, veneficii Lepidam in senatu, & coram Tiberio accusavit: sed quod post dictum repudium adhuc infensus, & post vigesimum annum accusavit, nulla enim crimina (nisi forte excepta perduellione) hac non tolli prescriptione: non suppositi partus, non veneficii, non parricidii. (ut recte Cujacius sensit: & patet ex hoc Svetonii loco in Tiberio:)* At aliud quoque ei objectum est, nempe quod per Chaldeos in domum Cesaris inquisivisset. Itaque igni & aqua ei interdictum est. Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum, ne bona publicarentur. Sed puto quemcunque lectorem, qui hunc locum Ærodi præ oculis habet, eum sic intellecturum esse, quod sc. Ærodius velit innuere: Quirini-

um apud Svetonium & Tacitum reprehendi, quod post vicennium uxorem repudiatam de partu supposito (qui verosimiliter adhuc in vivis erat, Confer dicenda §. 30.) & beneficio accusaverat, cum tamen & hæc crimina uti reliqua vicennio præscribi videantur. Quod si verum est, non poterit utique Paulus salvâ Jurisprudencia Romana intelligi, quod voluerit, accusationem suppositi partus non quidem vicennii præscriptione partu supposito adhuc vivente excludi.

§. XXIX.

Sed dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Videamus an Svetonius & Tacitus Quirinium carpent, quod post vicennium Lepidam de partu supposito (adhuc vivente) accusaverit. Locus Taciti est in lib. 3. *Annal. cap. 22. 23. At Romæ Lepida, cui super Æmiliorum decus L. Silla ac Cn. Pompejus proavi erant, defertur simulavisse partum ex P. Quirinio divite atque orbo. Adjiciebantur adulteria, venena; quæstumque per Chaldaeos in domum Cesaris, defendente ream Manio Lepido fratre. Quirinius post dictum repudium adhuc infensus, quamvis infanti ac nocenti miserationem addiderat. Haud facile quis dispexerit illa in cognitione mentem Principis; adeo vertit ac miscuit iræ & clementiæ signa; deprecatur primo senatum, ne majestatis crimina tractarentur: mox M. Servitium è consularibus aliosque testes inlexit ad proferenda quæ velut reticere voluerat, idemque servos Lepidæ, cum militari custodia haberentur, transtulit ad consules, neque per tormenta interrogari passus est de his, quæ ad domum suam pertinerent. Exemit etiam Drusum consulem designatum dicendæ primo loco sententiæ. Quod alii civile rebantur; ne ceteris adsentiendæ necessitas fieret: quidam ad sevitiam traherent, neque enim cessurum nisi damnandæ officio. Lepidæ ludorum diebus qui cognitionem intervenerant, theatrum cum claris feminis ingressa, lamentatione flebili majores suos ciens, ipsamque Pompejum, cujus ea monumenta & adstantes imagines visabantur, tantum misericordiæ permovit, ut effusi in lacrimas sæva & detestanda Quirinio clamarent, cujus senectæ atque orbitati & obscurissima domui, destinata quondam uxor L. Cesari ac Divo Augusto virus dederetur,*

retur, deinde tormentis servorum patefacta sunt flagitia, itumque in sententiam Rubelli Blandi, à quo aqua atque igni arcebatur, huic Drusus assentit, quanquam alii mitius censuissent. Mox Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum, ne bona publicarentur. Tum demum aperuit Tiberius, compertum sibi etiam ex P. Quiriniiservis, veneno enim à Lepida petito. Haftenus Tacitus. Ex cujus verbis nihil colligi potest, Quirinium accusationem suam post vicennium instituisse, neque propterea à Tacito, quod injuste fecerit, reprehendi, sed saltem ab eo asseri, quod miserationem & indignationem excitaverit apud Romanum populum, quod Quirinius ex obscurissima domo, dives ac orbis, Lepidam charissimæ gentis foeminam tantò odio persecutus fuerit, ut etiam post dictum repudium adhuc infensus eidem de tot criminibus illam accusaverit.

§. XXX.

Pergo ad Suetonium. Hic in *vita Tiberii cap. 49.* sic differit: *Procedente mox tempore etiam ad rapinas convertit animum. Satis constat Cn. Lentulum augurem, cui census maximus fuerit, metu & angore ad fastidium vite abcoactum, & ut ne quo nisi ipso hærede, moreretur, condemnatam & generosissimam foeminam Lepidam in gratiam Quirini consularis prædivitis & orbi, qui dimissam eam è matrimonio post vigesimum annum veneni olim in se comparati arguebat.*

Vult nimirum Suetonius Tiberium fuisse hæredipetam, quod non solum exemplo Cn. Lentuli, declarat, sed & ipsius Lepidæ, quam etsi maritus demum post vigesimum annum à divortio de veneficio accusaverat, tamen in gratiam orbi Quirini & ut hæreditatem ejus sequeretur, condemnaverit. Quo pacto equidem Tiberium taxat Suetonius, quod injuste contra Lepidam sententiam dixerit, taxat Quirinium, quod post vicennium demum illam accusaverit de veneficio. De supposito verò

partu plane nihil meminit. Nec est quod dicas defectum Svetonii ex Tacito, & defectum Taciti qui de vicennio tacet, ex Svetonio esse supplendum. Licet enim facile concedam accusationem de supposito partu simul fuisse cumulatam, quin & eandem post vicennium demum fuisse institutam; imo hanc vel ideo fuisse conjunctam, ut hæredipeta Tiberius hæreditatem à Quirinio captatam eò securius obtinere potuisset, cum aliàs si iste filius qui quod suppositus esset, argu-ebatur, his artibus non fuisset ab hæreditate exclusus, saltem ipsi legitima à Quirinio fuisset relinquenda, (quo pacto evidens esset, partum, de cujus suppositione agebatur, adhuc in vivis fuisse) Tamen ex istis omnibus novum argumentum adversus sententiam Tiberii & in odium Quirinii formari posset, & quod verosimiliter plane falsa fuerit illa accusatio de partu supposito. Id autem exinde non probaretur, quod in quæstione est; utrum nimirum ideo à Svetonio reprehendatur Quirinius, quod Lepidam demum post vicennium suppositionis factæ de partu supposito accusaverit. Nam plures circumstantiæ possunt in uno facto esse combinatæ, quas tamen non omnes, sed ex his unam saltem vel alteram in moralitate facti deducenda solemus attendere. Et imo invertere possumus argumentum, voluit Svetonius Tiberium accusare evidenter injustæ sententiæ in favorem Quirinii latæ. Hanc in rem attulit quoque evidentem rationem, quod nempe post vicennium accusationem de veneficio, quod est crimen transiens admiserit. Partus suppositi (etsi hanc accusationem sciverit fuisse cum priore conjunctam) mentionem injicere noluit, quia scivit, hoc crimen filio vivo supposito saltem tanquam delictum permanens etiam post vicennium posse in quæstionem venire.

§. XXXI.

Sufficiant ista de accusatione criminali de partu supposito.

23.
posito. Sequitur actio civilis, quæ occasione hujus delicti datur. Sed hæc à criminali præter differentiam generalem, quæ aliàs est inter actionem criminalem & civilem, etiam hoc modo differt, quod criminalis detur ut vidimus contra matrem aut participes criminis, civilis vero adversus ipsum partum suppositum per actionem præjudicialem *arg. l. 1. §. 11. de Carbon. edict.* Quæ tamen non solum adversus filium ex illo capite instituitur, quod suppositus esse dicatur, sed & quod negetur jure adoptatus esse *l. 7. pr. ff. eod.* item (ex jure veteri ante Justinianum) quod in adoptionem datus esse dicatur, & ideo negetur naturalis patris hæreditas ad ipsum pertinere *d. l. 7. §. 1. ff. eod.* aut si dicatur, non esse ex ipso defuncto conceptus, aut ex ipso quidem sed non ex matrimonio edictus *l. 3. §. 7. ff. eod.* Introdudtum verò est edictum Carbonianum in favorem filii impuberis, quò cavetur, ut, si cui controversia fiat, & impubes sit, causa cognita, perinde possessio ei dari debeat, ac si nulla de ea re controversia esset, & judicium in tempus pubertatis differri. *l. 1. pr. ff. eod.* cujus edicti intuitu variæ leges occurrunt partum suppositum in specie concernentes, quas paulo accuratius inspexisse non pigebit.

§. XXXII.

Et initio quidem Neratius in *l. 9. ff. de Carbon. edict.* scrupulum movet. Quod Labio scribit, inquit, quotiens suppositus esse dicitur pupillus, cum quo de patris ejus hereditate controversia est, curare Prætorem debere, ut is in possessione sit: de eo puto eum velle intelligi, qui post mortem patris familia, qui se sine liberis decedere credidit, filius ejus esse dici cœpit. Nam ejus qui agnitus est ab eo, de cujus bonis queritur, justior in ea re causa est, quàm posthumi. Quid enim: an solum de posthumo curare debet Prætore ut in possessione sit; an vero, etiam de nato? si prius, quid est quod Nera-

Neratius adjiciat, nati tanquam à patre agniti justiore
 causam esse debere quàm posthumi? Adde, quod & hæc as-
 sertio principiis juris communibus adversari videri posset. Si
 posterius, falsum fortè dixeris, quod Labeonis assertio de post-
 humo solùm intelligi debeat. Ad hunc locum Dion. Gothofre-
 dus nihil annotavit, Glossa verò mentem Neratii sic circum-
 scribit. Quod verba Labionis intelligenda utiq; sint tantum de
 posthumo, etsi in jam nato vivo patre etiam verum sit,
 quod curare debeat Prætor, ut in possessione sit. Nam hoc
 ita verum esse, ut de eo nullum sit dubium. At Labeonem
 loqui voluisse de casu dubitabili. Sed quod hanc expositi-
 onem attinet, etiam non apparet, quænam possit esse de post-
 humo ratio dubitandi: Utrum bonorum possessio Carbo-
 niana ad ipsum pertineat nec ne? Sane edicti ratio non fun-
 datur in agnitione patris defuncti, aut ejus ignorantia? Sed
 ne pupillus in pubertate de statu periclitetur, antequam se
 tueri possit *l. 1. §. 11. ff. de Carbo. edict. l. 3. §. 5. eod.* quæ ratio
 æque in posthumo, atque jam à vivo patre agnito procedit.

§. XXXIII.

Non minor sed longè maxima difficultas occurrit, in
 quæstione de concursu accusationis criminalis cum civili,
 propter responsa Jctorum quæ sibi invicem adversa esse vi-
 dentur. Videamus rem ipsam, & initio consideremus,
 quid Ulpianus hac de re scriptum reliquerit *l. 1. §. 11. de Car-
 bon. edict.* *Si mater, ait, subjecti partus arguatur* (id est,
 si quis asserat, matrem subjecisse partum. Nam de ac-
 cusatione matris hic Jctum nondum loqui ostendunt ser-
 quentia verba) *an differenda sit quæstio ad tempus puber-
 tatis propter statum pueri, hoc modo simul periclitantem,
 queritur. Et quidem pupilli status, utrum sit filius annon
 primario in dubium deducatur per actionem civilem, differ-
 ri quæstio in tempus pubertatis debet, cum metus esse possit,*
 ne

ne minus idoneè defendatur. Cum verò mater per accusationem de partu supposito rea postulatur, utique integra fide & majore constantia causam eam defensuram esse recentis tempore & si cognitio non differatur dubium non est. Puta si testes adsint, qui delata controversia, aut mutabunt consilium, aut decedent, aut propter temporis intervallum non eandem fidem habebunt. Vel finge esse anum obstetricem, vel ancillas quæ veritatem pro matre possunt insinuare, vel instrumenta satis idonea ad victoriam &c. (uti se ipsum exponit Ulpianus in l. 3. §. 5. ff. eod. quamvis ibi de pupillo agat.) Igitur non differre hoc casu controversiam, cognitionemque fieri oportet & post eventum cognitionis adversus matrem, si suppositum partum apparuerit, & ab accusatoribus id matri rite probatum fuerit, actiones hereditariae puero deneganda sunt, omniaque perinde habenda erunt, ac si heres scriptus non esset, idemque adeò ex paritate rationis dicendum erit, si iste puer heres non sit scriptus, sed præteritus aut ab intestato velit succedere, quod possessio ex edicto Carboniano eidem denegari debeat. Hactenus Ulpianus d. l. Sed quid fiet cum filio, si mater fuerit absoluta? Suppleamus statim decisionem hujus quæstionis ex eodem Ulpiano l. 3. §. 9. ff. eod. Si mater impuberis subjecti partus rea postulata, causam obtinuerit, poterit adhuc super esse status quæstio adversus ipsum impuberem, utrum sit filius defuncti legitimus nec ne: ut puta si dicatur, aut non esse ex ipso defuncto conceptus, sed post mortem ejus ab alio quæsitus, aut ex ipso quidem, sed non ex matrimonio, verum ex concubina editus.

§. XXXIV.

Vides adeo quatuor propositiones in his locis defendere Ulpianum 1. Si impuberi moveatur controversia status, differenda ea est ad tempus pubertatis. 2. Si mater impuberis accusetur de partu supposito, non differri debet

D

accu-

accusatio, sed statim tractari. 3. Si mater fuerit convicta, quod partum supposuerit, & condemnata, nocet hæc sententia etiam filio impuberi. 4. Si mater absoluta est ab accusatione partus suppositi, poterit impuberi suo tempore ex aliis capitibus controversia status moveri. De prima & quarta propositione nullum dubium moveri solet. Sed secundam & tertiam adhuc distinctius considerabimus, probaturi initio, eam esse utique sententiam Ulpiani circa easdem, ubi illam proposuimus, idque partim ex assensu aliorum, partim ex ipsius Ulpiani aliis locis.

§.XXXV.

Quod igitur diximus, Ulpianum velle ut cognitio criminis de partu supposito, quo postulatur mater impuberis non debeat differri ad tempus pubertatis, præter clara verba Ulpiani, etiam inculcatur à Marciano *l. 2. ff. de Carbon. edict.* Quotiescunque controversia est, voluit dicere Marcianus, de partu supposito, videndum est, an adsit aliquis, qui accusatione criminali conveniri possit nec ne, si mater adest, tum quæstio differri non debet. Imo ulterius, *licet* (hic incipit fragmentum ex Marciano, prout id nobis exhibuit Tribonianus) *Mulier quæ partum subjecisse dicitur, decesserit, si tamen participes maleficii sint, qui accusari possint in presenti cognoscendum est. Si autem nemo sit, qui puniri possit, quia omnes participes facinoris forte decesserint, tum demum secundum Carbonianum edictum in tempus pubertatis differenda est cognitio de statu pueri per actionem civilem formanda.*

§. XXXVI.

Idem inculcat Imperator Antoninus in *l. 1. C. ad L. Cornel. de fals.* cujus verba si cum præfata lege Ulpiani conferas, ferè

ferè innuunt, aut Imperatorem ad d.l. Ulpiani respexisse, aut fortè ipsum Ulpianum istam legem primum concepisse. *Si partus subjecti crimen diversa parti obijcitis, causa capitalis de partu supposito in tempus puertatis pueri differri non debuit: sicut jam pridem mihi & Divo Severo Patri meo placuit* Nec est quod forte urgeatis timendum esse, ne minus idoneè defendatur pupillus à matre, adeoque sic periclitetur antequam se tueri possit l. 3. §. 5. ff. de Carb. edict. aut ne forte mater in ista accusatione colludat cum accusatore in præjudicium impuberis. *Neque enim verosimile est, eam qua partus suppositi arguitur mulierem hic quicquam idonei omisuram, aut non ex fide causam suam defensuram esse, cum, si hoc non fecerit, periculum capitis subeat.* Et hoc est quod supra etiam §. 33. Ulpianus per verba integra fide dicere voluit, quorum expositionem adèd ad hunc locum distulimus.

§. XXXVII.

Porro quod Ulpiani mens etiam fuerit, quod muliere de partu supposito convicta id debeat nocere partui ipsi, & adeo omnes actiones hæreditariæ ipsi dene-gari, præter verba ejus supra data ostendit etiam alius locus ejusdem Jcti in l. 3. §. 4. ff. de Carbon. Edict. *Causa cognitio, quam Prator debet præmittere, antequam bonorum possessionem ex edicto Carboniano decernat, in eo vertitur, ut si manifesta calumnia appareret eorum, qui infantibus bonorum possessionem peterent, non daretur bonorum possessio. Summatim ergo cum petitur ex Carboniano bonorum possessio, debet Prator cognoscere. Et siquidem absolutam causam invenerit, evidenterque probatur ab iis, qui impuberi contradicunt, filium non esse, negare ei debet bonorum possessionem Carbonianam.*

D 2

Si

*Si verò ambigam causam hoc est, vel modicum pro pue-
ro facientem invenerit, ut non videatur evidenter fili-
us non esse, dabit ei Carbonianam bonorum possessio-
nem.* Duo igitur hic asserit Ulpianus, non dandam
esse bonorum possessionem, si (1) manifesta sit eorum
calumnia qui eam pro impubere petunt, aut (2) si evi-
denter probatum sit, quod filius non sit. Jam si ma-
ter sit convicta de partu supposito, debet Prætori satis
probatum esse, quod mater illa partum supposuerit,
quia in omnibus criminibus requiruntur probationes
evidentes & luce meridiana clariores. Simul igitur vide-
ri potest, eorum, qui bonorum possessionem pro partu
isto petunt, manifestam esse calumniam.

§. XXXVIII.

Huic verò doctrinæ Ulpiani non obstat, quod Pa-
pinianus in simili casu scriptum reliquit, videlicet *in l.
ii. §. 9. ff. ad L. Jul. de Adult.* *Quæ propter impuberem
filium vult dilationem ab accusatore impetrare, an de-
beat audiri? Non videtur mihi confugere ea mulier ad
justam defensionem, quæ ætatem filii pretendit ad eluen-
dam legitimam accusationem: nam non utique crimen
adulterii quod mulieri objicitur, infanti præjudicat,
cum posset & illa adultera esse, & impubes defunctum
patrem habuisse.* Hinc sane mulier petiit dilationem
accusationis criminalis de adulterio, & rationis loco at-
tulit, ne per hanc accusationem præjudicium fiat filio
impuberi, ac ille, si ipsa convincatur, pro partu illegi-
timo habeatur. Præsupposuit ergò mulier in sua peti-
tione; si præjudicium per accusationem aliquam crimi-
nalem contra matrem institutam fieri possit partui, dif-
ferendam esse accusationem, cujus contrarium Ulpia-
nus *in §. 33.* defendisse videtur. Quid Papinianus ad ista? Hic
axio-

axioma, quo mulier nitebatur, tacendo confirmat, & negat saltem per accusationem de adulterio præjudicium fieri filio impuberi, quia illa adultera esse potuerit, & filius tamen defunctum patrem habuisse. Unde Doctores præsumunt, in dubio præsumi mulierem adulteram habentem liberos ex matrimonio, non ex adulterio eos habuisse, etiamsi ipsa adultera confessa sit, se liberos, de quibus agitur ex adulterio sustulisse. *arg. l. 5. de in jus voc. § l. 29. §. 1. de probat. Gothofr. ad d. l. 11. § 9. ff. ad L. Jul. de adult.* Ergò Papinianus dum adversus axioma mulieris nihil urget, videtur idem contra doctrinam Ulpiani approbasse.

§. XXXIX.

Sed ad hæc sciendum, nondum certò constare, quod Papinianus axioma mulieris approbare, & sententiæ Ulpianæ ita adversum quid statuere voluerit. Nihil enim frequentius est in disputationibus, quam ut si adversarii falsam aliquam conclusionem partim ex regula aliqua falsa, partim ex assumpto falso deduxerint, modo saltem falsitatem axiomatis, modo solum ineptitudinem assumpti demonstramus, & propterea tamen alterum membrum non approbemus, cum ad ostendendum errorem sufficiat in ratiocinatione saltem falsitatem unius membri deduxisse: pariter & Papinianus. Duo nempe erant quæ dixerat mulier: 1. differendam esse accusationem criminalem adversus matrem institutam, si exinde metueretur infanti præjudicium. 2. in accusatione adulterii tale præjudicium esse metuendum. Hic Papinianus primum non approbat, sed transire permittit, fortè quod magis dubium esset, vel non sic evidenter falsum, ut posterius, contentus in hoc perspicue mulierem ineptæ petitionis convicisse.

D 3

§. XL. Quod

Quod si insuper conjecturis locus est, licet ex illa lege Papiniani ostenderimus eam non repugnare sententiæ Ulpiani, non verò probaverimus etiam Papinianum cum Ulpiano idem sentire, *ex l. tamen 1. C. de fals.* videtur argumentum petere posse ad probandam verosimilitudinem, quod Papinianus cum Ulpiano defenderit accusationem criminalem de partu supposito adversus matrem non esse differendam, licet per eam fiat præjudicium filio. Approbavit in d. l. ut videmus Antoninus sententiam Ulpiani, sed & provocat, quod jam olim cum patre Severo idem constituerit. Sed si Papinianus hac parte ab Ulpiano dissensisset, non probabile est Severum approbaturum fuisse doctrinam hujus præ doctrina Papiniani, utpote qui maximæ autoritatis fuit apud hunc Principem. Adde quod & Ulpianus rarissime à Papiniano dissentire soleat.

§. XLI.

Esto igitur, quod non fuerit dissensio inter Ulpianum & Papinianum, sed fuerit unanimis eorum sententia. Sed quid faciemus cum Paulo, qui *in l. 8. ff. de ventre in possess. mittend.* ita loquitur. *Si ventris nomine mulier missa sit in possessionem, Divus Hadrianus Calpurnio Flacco differendam accusationem adulterii rescripsit, ne quod præjudicium foret nato.* Hic casus similis esse videtur cum casu quem Papinianus tractat. Petebat enim & hic mulier de adulterio accusata dilationem ob præjudicium ventris. Et fuit responsum dandam esse dilationem, & idè, ne præjudicium fiat nato. Hic per indultam dilationem contradicere videtur Papiniano, qui negavit, differendam esse in ejusmodi casu accusationem adulterii. Per rationem verò indultæ dilationis, ne præjudicium fieret nato, contradicatur fortassis Papiniano,

piniano, qui negat per accusationem adulterii præjudicium nato fieri posse, & Ulpiano, qui non obstante præjudicio nati accusationem partu supposito adversus matrem repentè esse instituendam respondit.

§. XLII.

Res admodum clara esse videtur, hinc antimoniam subesse. Nam licet respondere velim, Paulum hic non loqui ex sua sententia, sed narrare solum scriptum Hadriani, tamen per hanc responsionem non tolleretur antinomia, sed transferretur saltem à Paulo ad Hadrianum: quia sufficeret, Hadriani rescriptum à Triboniano in Pandectas fuisse relatum, ut vim legis haberet. Deinde etiam responderem, Paulum hoc rescriptum Hadriani approbasse. Facit pro me potissimum *l. 13. ff. de Carbon. Edict.* ubi dicit. *Titia post mortem mariti sui posthumam enixa est: eidem Titia crimen adulterii Sempronius apud Præsidem provincie objecit. Quæro, an in tempus pubertatis questio adulteri differri debeat, ne præjudicium posthuma fiat? Paulus respondit, si ei pupilla, de qua queritur, bonorum paternorum questio non moveatur, sine causa tutores desiderare, adulterii quoque questionem in tempus pubertatis pupillæ differri. Licet enim prima fronte videatur contradicere Paulus rescripto Hadriani, eò quod in hoc responso asseruerit non concedendam esse dilationem adulterii in tempus pubertatis pupillæ, attamen si limitationem huic assertioni adjectam consideremus, si videlicet pupillæ questio de bonis paternis non moveatur, patet statim, quod idem hoc sit, ac si dixisset, tum demum hic concedendam non esse dilationem in accusatione adulterii, si per accusationem non metuatur præjudicium pupillæ; si verò questio pupillæ de bonis paternis moveatur, tunc dandam*

dandam esse dilationem propter metum præjudicii;
quæ est ipsissima sententia Hadriani.

§. XLIII.

Exemplum igitur dissensionis hic esse videtur inter Paulum & Ulpianum, qualia plura in Pandectis occurrere jam alii tradiderunt. Nec mirum id alicui videri debet, cum in eadem doctrina de Carboniano edicto aliud exemplum similis dissensus occurrit. Dixerat Ulpianus *in l. 3. §. 2. ff. de Carbon. edic. si quidem de parentis bonis simul & de statu controversia fiat, hoc edictum locum habebit. Si vero status tantum, differretur questio in tempus pubertatis, sed non ex Carboniano, sed ex constitutionibus.* E contra Paulus *in l. 6. §. 3. ff. eod. Ita demum huic edicto locus est, si status & hereditatis controversia sit. Nam si tantum status, ut quia servus dicatur esse, nec illa bonorum controversia sit, hoc casu libertate iudicium statim explicandum erit.* Rationes verò conciliandi, quas Glossa hâc parte affert, non magni ponderis esse videntur, ideo eas hic apponere supersedemus.

§. XLIV.

Videamus potius quid pro tollendo illo altero dissensu, quem de concedenda dilatione in accusatione adulterii aut similibus criminum inter Paulum, Ulpianum & Papinianum esse diximus, Doctores afferre soleant. Et initio quidem Dion. Gothofredus ad verba *d. l. 8. de ventre in possess. mittendo*, ubi Paulus differendam esse accusationem adulterii notat. *Imo non differretur, l. 1. Cod. de fals. Non differretur, quoties agitur de matre punienda: differretur si accusatur de adulterio vel partu supposito, hoc enim casu vocantur tutores.* Sed lubens fateor, me non intelligere quid Gothofredus velit.

velit. Non quæram quidem quid velit cum tutoribus, & eorum vocatione, sed potius quæram, an putet hoc modo sublatam esse antinomiam? *Non differtur, ait, si mater debeat puniri jam convicta scilicet, differtur, si solum accusetur.* Sed Imperator Antoninus *in d. l. 1. C. de fals.* etiam de accusatione loquitur, non de pœna, ideò enim dilationem non concedendam ait, quia mater haud dubiè integrâ fide se defensura sit. Ergo hæc responsio contradicere *d. l. 1. C. de fals.* non verò eandem cum Paulo conciliare videri potest.

§. XLV.

Similis etiam est ratio eorum quæ notat ad locum Ulpiani *in d. l. 1. §. ult. ff. de Carbo. edict.* Nam cum Ulpianus dicit, si in accusatione matris apparuerit filium esse suppositum, puero denegandas esse actiones hereditarias, addit: *Atqui res inter alios iudicata, puta inter matrem & tertium, alius nocere non debet. Solve: hac regula distinctionem habet: vid. l. 63. infra de re judic.* Hactenus quidem bene, sed quæ jam sequuntur, iterum fortè contradicunt Ulpiano. *Et sententia lata adversus matrem partui non nocet l. 1. C. ad L. Corn. de fals.* Nam Ulpianus dixerat nocere. Adde quod *in l. 1. C. de fals.* nihil dicatur, unde argumentum colligi possit, sententiam adversus matrem latam non debere filio nocere.

§. XLVI.

Jam nos conferamus ad Wissenbachium, & videamus etiam, quomodo hic dissensum hunc conciliare allaboraverit. Ita enim disserit, *part. 2. Disput. 15. ad Pand. th. 4. p. m. 747.* *Matri filii impuberis movetur controversia, quod ancilla fuerit defuncti vel partum subjecerit. Nec differenda est hac controversia. l. 1. §. fin. verb. recenti tempore, i. e. in presenti. ff. eod. l. 1. ad L. Cornel. de fals.* Hic conjungit Wissenbachius distingvenda. Si enim criminaliter accusetur mater, differenda non est controversia *dd. text.* sed si causa liberalis ventiletur, de ipsius libertate, videtur hæc con-

E

trover.

troversia differri debere. *l. 1. C. de Carbon. edict. junct. a l. 7. §. 3. verb. non semper ff. eod.*) *Nec filio impuberi nocet.* (imo nocet *d. l. 1. §. ult. ff. de Carbo. edict.*) *Ea enim non obstante decernitur filio possessio Carboniana, licet mater ancilla vel subjecti partus fuerit judicata. d. l. 1. C. eod. de Carbon. edict.* (si subjecti partus fuerit judicata non decernitur *arg. d. l. 1. §. fin. ff. eod.* Et *l. 1. C. eod.* loquitur solum de causa liberali, & imò nequaquam de matre ancilla judicata agit, sed potius causam intuitu matris differendam pronunciat) *Meritò, quia res inter alios judicata aliis non solet nocere l. sepe 63. ff. de re jud.* (sed hæc regula multas habet exceptiones *d. l. 63. ad quas adeò & hæc pertinet in d. l. 1. §. ff. de Carbon. edict.* inprimis cum rationem exceptionis docuerimus supra §. 37.) *Et cur noceret, cum è contrario lata pro matre sententia filio non proficit. l. 3. §. si mater 6. ff. b. t.* (Imò prodest filio lata pro matre sententia, ergo etiam nocet, prodest in tantum scilicet, quantum prodesse potest. Judicatum erat pro matre, filium non esse suppositum. Prodest hoc filio, ut amplius non debeat cognosci, an sit suppositus. Non verò prodest ad id, si dicatur non esse conceptus ex defuncto, aut non ex matrimonio progenitus. *d. l. 3. §. 6.* Nam de his punctis nihil erat pronunciatum in causa matris.

§. XLVII.

Vides ideo thesin Wissenbachii infirmis niti fundamentis. Igitur responsiones & objectiones, quas sibi format, non melioris erunt conditionis. *Opp. l. si ventris 8. ff. de ventr. in possess. mittend. Si mulier ventris nomine in bonorum possessionem missa sit, eaque adulterii accusetur, differenda est hæc accusatio, ne præjudicium fiat nato. Resp. quod in hac lege dicitur, ne præjudicium aliquod fiat, id non est intelligendum de Carboniana possessione, sed de aliis præjudiciis. (Sed suppedita de quibus, ubi non sit paritas rationis.) At cur in ead.*

ead. l. accusatio adversus matrem differenda dicitur, cum in d. l. i. §. fin. h. t. & d. l. i. C. de falsis, contra scriptum sit, nullo modo differendam esse accusationem subjecti adversus matrem. An quia ventri, id est, nondum nato, magis favemus, non solum ut alatur, sed etiam ut in lucem edatur, aut ne labes ei aliqua adspargatur à matre priusquam nascatur? (Sed Paulus non dicit, ne præjudicium fiat ventri, sed ne quod præjudicium fiat nato.) An quia hoc singulariter admissum in accusatione adulterii? (Sed quænam est illa ratio singularitatis in adulterio, quæ suadeat, ut hujus criminis accusatio differri non debeat, debeat verò differri in accusatione de partu supposito. Et si ratio quædam singularis in adulterio adesset, cur illam rationem non æquè Papinianus observavit in l. ii. §. 9. ad L. Jul. de adult. & Paulus in l. 8. de ventre in possess. mittent. Et quomodo dissensum harum duarum legum tollet Wissenbachius?) Possit & dici in d. l. si ventri 8. non solum matri, sed & ventri controversiam factam quasi vel non mittendus esset in possessionem, vel si missus esset, è possessione extrudendus. (Possunt quidem hæc dici, fateor, sed dicuntur refragante lege. Etenim quod actio adversus ventrem ibi non sit instituta, quasi non mittendus esset in possessionem clare docent verba: Si mulier ventris nomine in bonorum possessionem missa sit. Quod verò non convenerit actor ventrem, ut è possessione, in quam missus est, sit extrudendus, ostendunt sequentia verba, eaque (mulier non venter) adulterii accusetur. Nec dicere poterit Wissenbachius, quod hic actio criminalis adversus matrem sit cumulata cum actione civili adversus ventrem. Nam præter id quod hæc assertio aperte vim textui inferat, notum est

ex principiis Juris Romani, cumulationem simultaneam plurium actionum, quæ quidem moribus nostris in praxim suò modò admititur, Juri Romano plane fuisse incognitam. (*Aliàs certum est, adulterium matris nihil neque nato, neque nondum nato præjudicare, quia potest fieri, ut mater sit adultera, & tamen hic non sit ex adulterio conceptus, l. miles u. §. quæ propter 9. ff. ad L. Jul. de adult.* (Hic vult conciliare Papinianum cum Paulo, quasi assertum Papiniani ALIAS, id est, in reliquis casibus, quàm de quo loquitur Paulus procedat. Sed vellem, ut solummodo unicam rationem attulisset, cur assertum Papiniani, quod condemnatio matris propter adulterium non præjudicet legitimitati nati impuberis, non procedat etiam in casu quem Paulus proposuit.)

§. XLVIII.

Denique sibi opponit *d. l. i. §. fin. ff. de Carbon. edicto verbis: post eventum cognitionis (adversus matrem scilicet) si suppositum partum apparuerit, actiones hereditariae puero deneganda sunt, omniaque perinde habenda, ac si heres scriptus non fuisset. Ergo matre subjecti partus condemnata filio deneganda est possessio Carboniana. Resp. quod ex eventu apparuit, cum non esse filium, sed supposititium, hoc non officit quo minus ei Carboniana possessio interim dari debeat. Id enim paruit ex sententia non contra ipsum, sed contra matrem lata: ei igitur hæc non nocet d. l. saepe 63. (Hæc responsio nihil facit ad argumentum ex *d. l. i. §. fin. de Carbon. edict.* desumptum, sed ei solum contradicit, & hanc suam contradictionem probare intendit per *d. l. 63.* ad quam jam supra §. 46. respondimus.) Hoc saltem ei creatur præjudicium, quod interim pro certo herede, proque*

proque certo filio non habeatur, neque possit tanquam
 verus heres exercere actiones hereditarias, aliaque con-
 sequi, quæ veri heredes solent. (Hic distinguit inter bo-
 norum possessionem & actiones hereditarias, dicendo,
 quod filio quidem isti, cuius matri probatum fuerit cri-
 men partus suppositi, denegentur actiones hereditariæ
 tanquam vero heredi, non vero denegetur bonorum
 possessio ex edicto Carboniano. Quod autem deneg-
 entur actiones hereditariæ, idè fieri, quia in genere
 is, cui datur bonorum possessio Carboniana, si velit
 tanquam possessor Carbonianus hereditatem petere,
 exceptione summoveatur, & contentus esse hac prero-
 gativa jubeatur, quod possessorem eum Prætor tantis-
 per constituerit &c. prout Julianus respondet in l. 3. §. ff.
 de Carbo. edict. Sed hic repetenda erunt ea quæ su-
 pra §. 33. diximus. Utique Ulpianum in d. l. 1. §. fin. lo-
 qui de eo, qui heres scriptus est, qui edicto Carbonia-
 no regulariter non habet opus l. 1. §. 8. ff. eod. Sed quo-
 niam de hoc expresse dicit, quod ei denegandæ sint a-
 ctiones hereditariæ, & perinde habendum quasi scri-
 ptus non esset, inde recte ex paritate rationis argu-
 mentati fuimus ad eum, qui ab intestato aut contra
 tabulas voluit uti edicto Carboniano, ei denegandum
 esse hoc edictum. Neque procedit etiam ex alio capi-
 te hæc distinctio. Is qui bonorum possessionem Car-
 bonianam obtinuit, removeretur quidem exceptione, si
 ut possessor Carbonianus voluit hereditatis petitionem
 instituere, sed tamen ei actio hereditaria non denega-
 tur, ut ipse Ulpianus loquitur d. l. 1. §. fin. sed potius si
 velit hereditatem petere, petere potest, modo id faciat
 actione directa quasi heres, & ut in ea petitione judi-
 cari possit, quasi ex liberis heres sit. d. l. 3. §. 13. ff. de Carbo.
 edict.

Prolixior ergo hic locus Wissenbachii certiores nos reddidit, sententiam Ulpiani utiq; esse eam & accusationem de partu supposito non differendam esse, & per eam præjudicari partui, etsi dissentire videtur ab Ulpiano & à Papiniano Paulus. Et eò magis in hac doctrina nos confirmat, quod videamus idem & placuisse Cujacio *lib. 20. Obs. cap. 24. p. m. 962.* Quod autem additur in *d. §. ult. damnata muliere puerum excludi bonis defuncti, pugnat cum regula juris, ut res inter alios judicata aliis non noceat. Sed nihil ea nos movere debet, nec enim perpetua l. saepe ff. de re judic. Et hoc casu fallit, quia etsi lis cum muliere non cum puero fuerit, tamen iudicium mulieris pueri manifestum præjudicium est, quia palam iudicatum est non esse eum defuncti filium; quamobrem non potest non nocere iudicatum volenti agere de bonis defuncti tanquam Patris.* Licet Cujacius hoc loco dissensionem Pauli non observaverit, de quo intuitu juris Justinianeus sic paucis sciendum, sententiam Ulpiani præ Pauliana in pronunciando observari debere, quia in Codice, & videlicet in *l. 1. C. de fals.* est approbata, Codex autem repetitæ prælectionis tanquam pandectis posterior iisdem derogare putat. Coeterum elaborata disputatione expertus sum hactenus à §. 31. usq; ad hunc §. hunc dicta ab Illustris atque Excellentissimi Domini Præsidis sententia, quæ est, nullam dari in jure indeque nec in textibus hactenus addictis, antinomiam, quàm longe abscedere. Interim tamen ejus permisso semel, posita exercitii gratia defendere annitar.

§. L.

Denique id adhuc notandum erit, quod Ulpianus dicit, si mulier de partu supposito sit condemnata, id nocere quoque filio, id hactenus saltem valere, si probata

ta

ta sit partus suppositio per testes: qualis probatio etiam in criminibus de jure Civili regulariter locum habet, nec locus est juramenti delationi. Sed si alia actione civili contra mulierem judicatum fuerit propter præstitum juramentum, hoc non præjudicium faciet filio, quo minus bonorum possessionem ex edicto Carboniano petat. Ita enim Ulpianus seipsum explicat in l. 3. §. 3. ff. de jur. jurand. Marcellus scribit, etiam de eo jurari posse, an pragnans sit mulier, vel non sit: & jurijurando standum. Denique, ait, si de possessione erat questio, servari oportere: si fortè quasi pragnans ire in possessionem volebat, & cum ei contradiceretur, vel ipsa juravit se pragnantem, vel contra eam juratum est: nam si ipsa, ibit in possessionem sine metu; si contra eam, non ibit, quamvis verè pragnans fuerit. Proderitque, inquit Marcellus, mulieri juranti jusjurandum, ne conveniatur, quasi calumnia causa ventris nomine fuerit in possessionem, neve vim patiatur in possessione. Sed an jusjurandum eò usque proficit, ut post editum partum non queratur, ex eo editus, an non sit, cujus esse dicitur, Marcellus tractat? Et ait, veritatem esse querendam: quia jus jurandum alteri neque prodest, neque nocet. Matris igitur jusjurandum partui non proficiet; nec nocebit, si mater detulerit, & juretur ex eo pragnans non esse. Conf. l. 1. ff. si mulier ventris nom. Et locum parallelum Marcelli vide in l. 10. ff. de Carb. edict. qui ideò, quoniam paululum obscurior est, ex hoc Ulpiani loco prolixiore erit explicandus.

§. LI.

Quodsi verò mulier post mortem mariti gravida timeat, ne à mariti agnatis accusetur de supposito partu

tu, jubet Theodosius Imperator, ut certas cautiones ob-
 servet in l. 10. Cod. Theod. de bonis proscript. de quibus
 vide Jacob. Gothofr. ad l. 10. Tom. 3. f. 338. & Con-
 fer. l. 1. §. 10. ff. de vent. inspic.

TANTUM.

COROLLARIA.

I.

CRimina an salva justitia naturali possint
 præscribi? Affirm.

II.

An is, qui filiam alicujus supposititiam in-
 sciens in uxorem duxit, postea verò id comper-
 tus fuerit, ideo matrimonii dissolutionem impe-
 trare possit? Neg.

III.

Spadones, senes & steriles an matrimo-
 nium inire possint? Affirm.

IV.

An inter diversæ religionis homines ma-
 trimonium sit prohibitum? Neg.

SOLI DEO GLORIA,

☞(o)☞



99 A 6927


ULB Halle
002 546 876

3



VDA7







XXXVII.

Quod Felix Faustumque sit!

DISPUTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE PARTU
SUPPOSITO,

Quam
DIVINA ADSPIRANTE GRATIA
SUB AVSPICIIS
INCLYTÆ UNIVERSITATIS SALANÆ
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI

IOHANNIS GVILIELMI
DUCIS SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM,
ANGRIÆ AC WESTPHALIÆ, ETC.

Et ex Decreto & Auctoritate
MAGNIFICI AC AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS
PRÆSIDE

ILLUSTRI ET EXCELLENTISSIMO VIRO
DN. NIC. CHRISTOPH. LYNCKERO,
Hæreditario in Böttschau & Gluhstædt / Consiliario Saxonico Intimo, ut & Regiminis
& Consistorii Tutelaris, Facultatis Juridicæ Seniore, Antecessore primario, Curia Provincialis
ac Scabinatus Assessore gravissimo,
DOMINO PATRONO ÆTERNUM DEVENERANDO,
PRO LICENTIA
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA

consequendi,
Publicè Eruditorum examini subicit
PET. IOH. OEHNSEN, Gvelfpherbyt.

Ad diem Octobr. Anno 1690.
H. L. Q. C.

JENÆ, Literis Bauhoferianis.

